



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Talio, Sev Metiens Et Remetiens Mensvra

Stengel, Georg

Ingolstadij, 1650

§. 12. Iudæi in vestem Christi fortem mittentes, quàm graüter & ipsi sub  
sortem venientes castigati?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52346](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52346)

## §. XII.

*Iudæi in vestem Christi sortem mittentes, quàm graviter & ipsi sub sortem venientes castigati?*

Ioan. 19.  
24.

11. Iudæi in tunicam inconsutilem Christi sortem miserunt, quis quid tolleret. Ut ergo par pari referretur, tempore obsidionis, ipsi inter se Iudæi sortiti sunt, vter alterius carnifex fieret, atque alterum occideret, ne in manus hostium deveniens graviora pateretur. Et quia clamarunt: *sanguis eius super nos, &c.* ideò postquam Titus est civitate potitus, omnes obuij mactati sunt, omnia cum ipso templo incensa: ita, vt quamuis incendijs omnia lucerent, plus tamen sanguinis, quàm ignis videretur, & multis locis flamma ipso sanguine extingueretur; quasi aquæ, non sanguis, essent affusæ. Sunt, qui scribant in sola vrbe Ierosolymitana per tempus obsidionis decies centena hominum millia fame, peste, igne, ferro interiisse; nonaginta septem millia capta. Ite, Iudæi, vincula iniicite Messie vestro, accusate innocentem, percutite, cædite, occidite, ovis instar obmutescentem: non erit semper tempus tacendi. *Qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis.*

§. XIII.